

7

444

Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
 DE EO,
 QVOD OMNES
IDEÆ ORIANTUR
A SENSIONE,

QVAM

Indultu Inclytæ Facultatis Philolophicæ,
 In Alma Philurea ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆNOBILISSIMI ATQVE PRÆCLARISSIMI

DOMINI

M. ANDREÆ Rüdigers/

Fautoris ætatem honorandi,



D. XII. JANUAR. ANNO MDCCIV.

Placido Eruditorum examini
sistit

AUGUST. FRIEDER. MÜLLERUS,

Græf. Misn. Philos. Stud.

L I P S I Æ ,

Literis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

Philos.
 B.
 76, 24

DRUCKTYPUS HISTORISCHER
DE BO.
GONDOMIER
IDEBOMANIER
A 22 EN 1 ON B
ADRIEN TRICHTER FACULTAS PHILOLOGICA
IN ANNO 1710
PHILOSOPH
M. A. N. D. R. E. H. S. P. I. D. I. G. I. T. A.
D. O. M. I. N. I.
L. A. S. C. H. A. N. S. I. U. S.
D. N. I. S. I. M. A. N. N. A. S. I. U. S.
D. N. I. S. I. M. A. N. N. A. S. I. U. S.
D. N. I. S. I. M. A. N. N. A. S. I. U. S.
AUGUST BRUNNER MÜLLERUS

Sächsische
Landbibliothek
Dresden

VERMÖGENSRECHT

MEDITATIO I.

DE EO,

**QVOD OMNES IDEÆ ORI-
ANTUR a SENSIONE.**



C A P. I. D E S E N S I O N E.

Dissensiones Eruditorum §. I. II. Non evincunt, nullam dari veritatem. §. III. Cum vere Eruditi multa certo comprehendant. §. IV. Exemplo hujus Quaestionis: An omnes Ideae oriuntur a Sensatione. §. V. Hec ut rite intelligatur, definiendum & dividendum. §. VI. Ut possimus disputare contra Cartesianos, in aliquo conveniendum §. VII. Ex hoc definitiones elicienda & divisiones. §. VIII. Quilibet in Intellectu suo Actiones deprehendit, quae sunt Ideae. §. IX. An haec Actiones sint a Recordatione? §. X. Demonstratur id de Visu. §. XI. De Auditu & gustu. §. XII. De Tactu & olfactu. §. XIII. De dubitatione. §. XIV. Ergo quilibet interne quoque percipit Passionem aliquam, quam vocamus Sensationem: Et quid ea sit? §. XV. An illa sensio per nervos fiat, an per Spiritus Animales? §. XVI. Probatur contra Cartesium κατ' ἀνθρώπων, quod debeat fieri per Spiritus Animales. §. XVII. XVIII. Quod Facultas sentiendi non sit praecise in cerebro, contra Cartesium & Gassendum. §. XIX. Quod, dum animam per Spiritus sentire asseramus, non ideo Gassendo adstipulemur. §. XX. Quod praeter Sensationes Externas dentur adhuc quaedam Internae. §. XXI. Quae demonstrantur κατ' ἀνθρώπων §. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. Quomodo differat Sensio Externa ab Interna? §. XXVII. Quid sit utraque? §. XXVIII. Quod Sensus Communis, Phantasia & Memoria non sint Sensus. §. XXIX. Nec Cartesii Sitis, Fames, Laetitia, & Tristitia. §. XXX. Quomodo Externa Sensio dividatur. §. XXXI. Quomodo Interna. §. XXXII. XXXIII. Idea Recordationis quomodo oriatur ex Sensatione. §. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. Quod Voluntatis Actiones non sint Ideae. §. XXXVIII. XXXIX. Quod tamen de illis habeamus Ideas, & quomodo illae oriuntur ex Sensatione, §. XL.

§. I.

§. I.



Nihil magis suspectam fundamenti parum solidi reddit Philosophiam, quam quod videas, eos, qui eruditorum turbæ facem præferre sustinent, in tam diversas abire sententias, ut in levissima sæpe Quæstione nesciant, quid statuere debeant cæteri, quibus rite sequendi gloriam reliquit vel natura vel institutum.

§. II. Hinc vires sumit illud malevolorum convitium, qui, cum vel per imbecillitatem ingenii judicare nequeant, vel per insignem negligentiam nolint, exclamant: *Mundum regi opinionibus; Quot sint eruditorum capita, tot esse sensus.* Id quod eo valet, ut cum ipsi de ejusmodi dissensionibus judicare vel nequeant vel nolint, eo ipso aliorum gloriæ detrahant, qui laudabiliter utrumque præstant.

§. III. Interim illæ dissensiones utique negari haud possunt, impudentiamque negaturi retunderet immensa, non dicam ab orbe condito, nec inde a flore & vigore orbis Literarii, sed vela centum abhinc annis, de controversiis ultro citroque agitatæ voluminum vis & multitudo. Inde vero ne utiquam illud debet confici, quod *veritas lateat in puteo*; Veli antiquus Arcesilai error recoqui, *nihil esse, certum, nisi hoc unum, quod nihil certum sit*, asserentis.

§. IV. Sane enim qui genuina ratiocinandi Principia callent, illi certo persuasi sunt de multis, ubi cæteri hærent dubii, clareque comprehendunt, quod hi non nisi per nebulam intuentur. *Genuina Logicæ contemptus, Passionum indomitus fervor, educatio, institutio, præjudicium, seculorum omnium ad credendum quam judicandum proniorum cacoëthes*, genuerunt nobis multos, multos foverunt sic satis apertos errores.

§. V. Instar omnium sit hoc tempore Cartesianos inter & cæteros Philosophos agitata quæstio: *An omnes Idæa ortum ducant a Sensibus?* Quam Cartesiani præjudicio Idæa suæ innatæ negant:.

gant: Nos cum reliquis Philosophis *affirmamus* quidem, cum
iisdem tamen non probamus. Hi quippe bonam cau-
sam male defendunt. Sensus enim præcipue Interni pravo
Conceptu, deteriore Divisione, gladium Cartesianis præbent,
quo turpiter jugulantur.

§. VI. Hæc ergo Quæstio ut rite possit intelligi, & in-
tellecta decidi, ante omnia inquirendum in *Sensus* genuinam
& *Definitionem* & *Divisionem*. Dein quoque *Idea* quid sit, &
quodnam in ea deprehendatur discrimen, accurate pensitan-
dum. Sic ex hisce considerationibus sponte deinceps fluet
Quæstionis *Affirmatio*.

§. VII. Cum autem fere *de Principiis* sit hæc nostra cum Cartesia-
nis instituenda *Disputatio*, disputari vero non possit, nisi probe-
tur, probatio sit descensus versus Principia, patet, nos vix ha-
bere quo descendamus, cum jam in ipsis Principiis versemur.
Itaque ne Andabatarum more vanos vibremus ictus, sumen-
dum aliquid hic est, in quo conveniamus ex utraque parte. Pos-
sumus autem convenire in eo, quod *Quicquid immediate sine*
interventu Sensorii Externi percipimus, (quo & refero Carte-
sianorum Sensoria Interna, si ipsis ita placet) *illud haud dubie ve-*
rum sit. Dabunt nobis facile, credo, quod hic postulamus Car-
tesiani, quippe quorum *Cogito ergo sum*, ideo tamen verum
est, quia *immediate percipitur*: *Concedimus* idem nos quoque,
ut non hoc sensu, quod hoc *solum* sit Veritatis indubiæ Prin-
cipium.

§. VII. Jam, age, ex hoc utrinque concessio Principio
formemus nobis *Definitiones* & *Divisiones Sensus* & *Idearum*, ut
deinde appareat, quod *omnis Idea ortum debeat Sensibus*. Qui-
libet ergo, qui, cogitationibus ab externo objecto paulisper
revocatis, in se recedit, animadvertit in suo cerebro, ubi haud
dubie cogitat, *duo contingere*: Primo *Passionem* aliquam, dein,
quæ individuo nexu sequitur, *Actionem*.

§. IX. Actiones quidem difficiles cognitu non sunt: In-
terna

terna enim ejusvis Perceptio evincit, *quamlibet cogitationem esse Actionem.* Et quidem dubio caret, quando illa cogitatio est *Ratiocinatio*: Nec latet illa Actio in *Affirmatione & Negatione*. Clara quoque est Actio in *Conceptibus*. Quamvis enim illi videantur solum ab Objectis *imprimi*, id tamen apertum est & indubium, quod *pura pura Impressio Conceptionem parere non possit*, alias & *Camera Obscura* non posset non suos habere *Conceptus & Ideas*.

§. X. Hocce Conceptus facile deprehendit aliarum Actionum Intellectus, veluti Affirmationis Negationis & Ratiocinationis esse Principium; Unde tamen illi orientur, non statim constat. *Quodsi omnes essent a Recordatione*, optima videtur consequentia, quod omnes nascantur a *Passione*. Nam *omnis Recordatio est a Passione*: Quomodo enim quæso recorderis alicujus rei, quæ te nullo modo affecit? & quomodo te afficiat, nisi in te agat? Si autem agit in te, patiaris ab illa necesse est.

§. XI. Videndum ergo, *an ejusmodi Passio in Intellectu nostro detur*. v.g. *Vidi equum*, ejus habeo Ideam: Unde vero est illa? Manifeste a Recordatione: Ab hac enim si non esset, necesse foret, ut habuissem ejus Ideam, antequam vidissem. Si autem est a Recordatione, est necessario a Passione, quia Recordatio præsupponit Actionem, Actio vero certissimo nexu Passionem involvit. Quodsi Medicis credendum, manifestior est hæc Passio. Lux enim a corpore reflexa, suis radiis in oculum incurrit, in retinam desinit, ibique hospitantes Spiritus Animales movet, hisque mediantibus animam excitat ad concipiendam eam, quæ ingressa est, imaginem.

§. XII. *Audivi vocem*, ejusque habeo Ideam: Unde vero illa? A Recordatione: Ergo a Passione. Quodsi Medicis fidem habemus, clarior res est. Commotus enim aer movet membranam tympani, hac mediante Spiritus Animales, his mediantibus Animam. *Comedi pomum*, restat mihi Idea *Gustus*:

stus: Undenam quæso? A Recordatione: Ergo a Passione.
Quodsi Medicos in subsidium vocamus, asserunt, Spiritus Anima-
les in papillis lingvæ nerveis a Gustus Objecto affici,
iisque mediantibus Animam.

§. XIII. *Tetigi aliquid*: Habeo ejus Ideam quod fuerit,
glabrum; Undenam illa? A Recordatione: Ergo a Passio-
ne. Medicorum fides iterum majorem huic veritati foenera-
tur lucem: Hi quippe asserunt, quod Objectum Tactus mo-
veat extremitates nervorum, qui innumeris fibrillis in cutem
desinunt, his mediantibus Spiritus, & per hos Animam. *Olfeci aliquid*:
Ejus mihi superest Idea: Undenam illa? A Recor-
datione: Ergo a Passione. Medici idem ulterius comprobant,
quando ajunt, quod Objectum moveat membranam narium,
per hanc Spiritus, per hos Animam.

§. XIV. *Dubitavi hætenus*: Habeo Ideam Dubitatio-
nis: Undenam illa? A Recordatione: Inde enim, quod re-
cordor me dubitasse, restat mihi Idea Dubitationis. Ergo si
Idea Dubitationis est a Recordatione, necessario oritur a Passi-
one. Possemus & hic Anatomicos consulere imo ex ipso Car-
tesio κατ' ἀνθρώπων disputare, quod dubitationis atque Cogi-
tationis Ideæ sint a Passione; Sed id quidem infra sumus factu-
ri, ubi ex professo de Sensatione Interna agendi erit occasio.

§. XV. Sic ergo clarum est, cujus quoque gratia hæc
differuimus, quod *quolibet Perceptione Interna* animadvertat,
quod in suo Intellectu & *Actio* detur & *Passio*. Hæc cum sint
Opposita, discernenda esse nemo negabit: Si discernenda, sine
dubio quoque peculiaribus terminis insignienda. Quodsi
aliorum Philosophorum meditationes consulas, *Passionem*
Sensationis, *Actionem* Ideæ nomine indigitarunt. *Est ergo Sen-
sio* nihil aliud quam *qualibet Animæ Cogitantis Passio*: Vel si
mavis, est *motus Passivus*, quo *Anima cogitans afficitur*, ortus a
motu Activo. Per motum Passivum intelligimus *Passionem*;
Per Activum *Actionem*: Utriusque Ideæ *Immediata Percepti-
one* claræ sunt. Affici idem est ac pati. §. XVI.

§. XVI. Sic omnia clara, Saltem adhuc utiliter quaeritur, quomodo fiat haec Sensuum Passio? An per nervos, an per Spiritus Animales. Dissentiunt hic duo magni Philosophi, Gassendus & Cartesius: quorum ille putat, eam fieri per Spiritus, hic vero per nervos. Ille quidem hunc sibi concipit modum: Nervus tangitur ab Objecto, Spiritus contentus premitur, pressus repellit ex cerebro affluentem. Et sic haec repulsio continuatur usque ad ipsum cerebrum, ubi Facultas sentiendi haeret. vid. *Abbrege de la Philosophie de Gassendi, par F. Bernier, Tom. VI, p. 21.* Hic vero, Cartesius nempe, existimat, nervorum Substantiam interiorem, quam per modum capillamentorum sibi concipit, ad partes usque protendi, ibique si moveantur dictorum capillamentorum extremitates ab Objecto, alteras in cerebri Substantiam desinentes extremitates eodem temporis momento moveri, sicut, si restis extense tangas extremum unum, alterum etiam ipso momento commoveatur. Alterae ergo extremitates dum sic tangant cerebrum, eo ipso sentire Animam, quippe cujus Facultas sentiendi ibidem resideat. Vid. *Cart. Dioptr. C. IV. §. 5. It. Princ. P. IV. §. 189. p. m. 161. 162. It. de Hom. P. III. §. 27. p. m. 51.*

§. XVII. Neuter tamen horum Philosophorum nobis satisfacit, illic consensum nostrum impediante mora Spirituum successive, imo cum resistantia, per nervos ad cerebrum removendorum: hic tensione nervorum, quae talis semper non existit, qualis praesupponitur. In vario enim corporis situ necessario aliqui nervi debent esse laxissimi, & tamen eodem modo contingit sensio. Quid si ergo diceremus, Animam sentire & mediantibus nervis, & mediantibus Spiritibus & mediante cerebro? Hoc sane possumus ex ipso Cartesio demonstrare, qui *Med. VI. p. m. 36.* ait: *Docet naturae, (hoc est Animam cogitantem) non tantum adesse meo corpori, ut nauta adest navigio, sed illi arctissime esse conjunctum & quasi permixtum adeo, ut unum quid cum illo componam, alioqui enim cum corpus laeditur, ego qui nihil aliud sum quam res cogitans, non sentirem idcirco dolorem, sed puro Intellectu laesionem illam perciperem.* B §. XVIII.

§. XVIII. Per corpus quod hic intelligatur non solum cerebrum, sed omnes corporis nostri partes, & inde patet, quod Animam in organis sensuum quoque esse affirmet, *Diotpr. c. IV. §. I.* Et potissimum Definitio in *Respons. ad Object. II. rationibus more Geometrico dispositis, p. m. 75.* idem manifestat. Hinc jam clarum est, quod, cum Anima arctissime conjuncta sit cum corpore, arctissime quoque connexa sit cum nervis & Spiritibus: si autem arctissime connexa est cum nervis & Spiritibus, sequitur, quod eodem modo connexa sit cum his ac cum cerebro: hoc si est, patet, quod, si ideo sentit, quia cerebrum movetur, debeat quoque ideo sentire, quia nervus vel Spiritus Animales moventur. In singulis hisce firmissima est consequentia, quod facile ulterius possemus deducere.

§. XIX. At dicet *Cartesius & Gassendus: Facultas tamen sentiendi est in cerebro. Unde vero probabunt hoc?* Nos sane longe verisimilius asserimus, esse eam, ubicunque ab objectis afficiatur. Perceptio Interna (nam & ipsorum Sensuum Externorum Perceptiones interne percipi, *Cartesius* asserit) convincit quemlibet, quod, quando ledatur in digito pedis, non sentiat in capite: Quod si enim ibi sentit potius quam in ipso pede, quare caput non dolet potius quam pes? Equidem novimus experimentum eorum, quibus membrum aliquod fuit amputatum, & qui post deinceps sibi visum dolorem percipere in membro, quo tamen amplius non gaudebant: cujus exemplum adducit *Cartesius, Princ. P. IV. §. 196. p. m. 164.* Sed & *Monfr. Bernier Abregé de la Philosophie de Gassendi Tom. VI. p. m. 27.* testatur, se quævisse exploribus altero pede privatis, qui tale quid sibi obvenerit haud observaverint. Summa eo redit, si a recenti amputatione tale quid obtigit, quale est exemplum *Cartesii*, videtur id accidere ex vitio imaginationis morbo prægresso corruptæ.

§. XX. Ergo Anima sentit, ubicunque afficitur. Quia
tamen

tamen *arctius* videtur unita cum *spiritibus animalibus* quam cum reliquo corpore, cum illi tanquam corpus omnium subtilissimum spiritualitati Animæ quoque proxime accedant ; hinc & omnium facillime per eos moveri videtur. Quare probabilis admodum est multorum Medicorum opinio, *quod Anima immediate a Spiritibus moveatur*, quam & nos Cartesii opinioni præferimus : nec tamen ideo a partibus Gassendi stamus, putantis, motum Spirituum debere necessario deferri ad cerebrum ; sed existimamus, *Animam sentire per Spiritus quocunque in loco hi moveantur*.

§. XXI. Jam a nemine negari poterit, quod ubicunque detur ejusmodi *Passio*, ibi necessario quoque adsit *Sensio* : et ubicunque ea non sit, ibi etiam *Sensio* adesse haud possit. Videamus primo, ubi ea detur. *Datur* nempe in omnibus vulgo ita dictis *Sensionibus Externis* : hinc recte *Sensiones* audiunt. At *datur* & præterea ejusmodi *Passio in Intellectu nostro & Voluntate* : quæ tamen *nec* ad *Sensiones* hæc *Externas*, *nec* ad Cartesii vel Scholasticorum *Sensiones Internas* referri potest, sed a Philosophis vulgo fuit neglecta : unde deinceps *supposita* fuit a Cartesio *Idea* quædam *Innata*.

§. XXII. *Hæc Passio mihi nunc demonstranda venit*. Sic vero demonstro : *Quilibet Perceptione Interna sentit, quod habeat Ideam Cogitationis & Volitionis : id quoque eadem Perceptione constat, quod has Ideas habeat ex Recordatione* : inde enim habet *Ideam Cogitationis & Volitionis*, quod *Volitionis & Cogitationis* proxime præcedentis recordatur. Hinc porro infero, ut supra : *Ubicunque est Recordatio, ibi præces sit Passio*. Jam ejusmodi *Idearum* *Essentia* consistit in *Recordatione* : E. illas prægressa est *Passio*. Sic & a priori statim deprehenditur, quod & hic detur aliqua *Sensio*. Sed *Metaphysica* forte nimis hæc videbitur *Demonstratio* Philosophis, qui *Corpuscularibus* *Demonstrationibus* adsveti, nihil solidum reputant, nisi *Mechanismum* redoleat. Tentabimus ergo hanc *Sensionem*

onem ex propriis Cartesianorum hypothesebus deducere, & demonstrare adeo, quod, si velint sibi constare, suisque fundamentis & Principiis convenienter ratiocinari, non possint non hanc Internam Sensationem palpare.

§. XXIII. Postulamus itaque nobis hic dari a Cartesianis, quod *Mens* *mediantibus Spiritibus tanquam instrumentis omnia sua peragat*, consequenter iisdem cogitet quoque, sumto hoc vocabulo secundum stilum Cartesii, ut Volitionem quoque comprehendat: vid. Princ. §. 32. p. m. 7. Quod quidem postulatum æquissimum nobis non poterunt denegare, quippe cum & ipse Cartesius de Pass. P. I. Art. 34. p. m. 13. expressis dicat verbis, quod *Anima radios emittat per corpus opera Spirituum, nervorum, & ipsiusmet sanguinis*; Prætereaque *centum Phenomena* id facile evincant. Instar omnium sint *Mania & Melancholia*, ubi Cogitationes aperte confunduntur propter Spiritus male habentes, qui etiam, simul ac ope Medicamentorum suæ restituti sunt integritati, morbus cessat.

§. XXIV. Quod si concedas, Spiritus Animales esse Animæ Cogitantis instrumentum proximum, idque unicum, jam ulterius negare non poteris, quin *eo tempore, quo Anima actu cogitat, Spiritus debeant moveri*. Nam quando Causa Principalis agit, Instrumentum Actionis illius unicum quiescere non potest.

§. XXV. Ergo si moventur Spiritus in cogitando, necessario ulterius sequitur, quod *Motus is ab Anima semel impressus non possit non adhuc durare aliquandiu*, etsi illa Animæ impressio cesset, per legem Naturæ primam Cartesii, de Princ. P. II. §. 37. Quod ipsum quoque diserte fatetur de Spiritibus, De Hom. P. II. §. 21. p. m. 41. ubi ipsis attribuit *propensionem juxta leges naturæ continuandi motum suum*.

§. XXVI. Jam ultro sequitur, hunc restit antem Spirituum motum affecturum esse Animam, si nihil impediatur. Impedit autem motus fortior ab externis objectis accedens: Ergo si Anima

vel

veluti secum habiet, & tantisper externa omnia respuat; patietur a motu et si debili proxima cogitationis, eoque ipso non solum Ideam proxime conceptam recipiet, sed & modum operandi aliquatenus simul advertet; Sicque habebit Ideam Cogitationis suæ, recordabiturque propriæ operationis. Et hinc est, quod, quando Ideam Cogitationis nostræ concipere nitentur, nullas alias Ideas fortius afficientes, motumq; debilem proxima Cogitationis observandæ obtundentes, admittere debeamus.

§, XXVII. Ergo Ideæ hæ omnes, quas *Innatas* existimant Cartesiani, oriuntur ex aliqua *Passione*, & consequenter ex *Sensione*. Hæc vero *Sensio* nec ad vulgares Sensus Internos, nec ad Cartesii illos referri potest. Cum *Externis* vero convenit quidem in eo, quod consistat in aliqua *Passione*: discrepat tamen multis modis, v. g. *Externa Sensio* habet proprium *Sensorium*, *Interna* nullum: *Externa Actio* est à rebus extraneis, *Interna* est ab ipsa *Anima*: *Externa* interdum fallendi occasionem suppeditat, *Interna* nunquam. Res tot modis differentes distingui, distinctisque vocabulis efferri quilibet æquum judicabit.

§, XXIX. Cum ergo otiosum sit vulgatum Interni Sensus vocabulum, quid prohibet, quo minus transferamus illam appellationem ad hanc *Passionem*, eamque Sensus Interni nomine venire jubeamus? Est ergo *Sensio* vel *Externa* vel *Interna*: Illa est *Passio*, qua afficitur *Anima* *Intelligens* a *Spiritibus* ab alia re commotis: hæc vero est *Passio*, qua afficitur eadem a *Spiritibus* a se ipsa motis.

§. XXIX. Ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, sequitur, quod *Sensus communis*, *Phantasia*, & *Memoria*, Sensus Interni, imo plane Sensus, non sint. Nam quilibet per hos concipit vel *Facultates* vel *Actus*. Si sunt *Actus*, Sensus esse nequeunt, eo quod Sensus sunt *Passiones*; sin *Facultates*, itidem *Passionibus* sunt oppositi, cum *Facultates* & *Actus* non differant realiter, sed *Accidentaliter* tantum: eadem quippe vis est, quæ intra

Facultatis cancellos sese continet, & quæ deinceps in Actiones erumpit.

§. XXX. Sequitur porro, Cartesium *male Sitim & Famem, Letitiam & Tristitiam* Sensus Internos fecisse, vid. de Hom. P. IV. §. 72. Ipse enim cum haud descriperit, quid sibi per Internos illos Sensus velit, secundum Conceptus nostros, ex Interna cujusvis Perceptione deductos, iudicium hic debet institui. Id quod si facimus, deprehendimus, *Sensus Interni requisitum* necessarium esse, *ut Spiritus, qui movent Animam Intelligentem, antea ab ea ipsa fuerint commoti.* Hoc vero cum in nullo horum contingat, sicut facile ex ipsis Cartesii verbis loco allegato patescit, sequitur, posse eos quidem *ad Externos, neutiquam vero ad Internos* referri Sensus.

§. XXXI. Cæterum ulterius adhuc utraque Sensio potest *dividi.* *Externa* vulgo pro diversitate Objectorum *in quinque Species* fuit *divisa: Gustum, Olfactum, Auditum, Visum, Tactum.* Harum quælibet *peculiare* habet *Sensorium: Tactus* autem ita *Universalis* est, ut *quævis cutis extremitas* ejus *Sensorium* existat. Hæc *extremitas* siue *externa* sit, siue *interna*, tanti momenti *discrimen* esse haud videtur, ut ideo numero *Externorum Sensuum* aliquid eximi debeat, quia *Perceptio* fiat in *extremitate cutis Interna: Ergo Sitis & Fames, Letitia & Tristitia* commode *ad Tactum* referuntur. Quamvis quoad *Letitiam & Tristitiam* fere magis dicantur *de Actu Animæ letantis & tristantis,* quo modo *plane non sunt Sensus;* quam *de Passione prægressa,* quo modo *Sensus* esse admitto.

§. XXXII. Superfedere nobis liceat singulis hisce describendis: metuumus enim nauseam Lectoris: *Descriptiones* tamen *eorum* essent *facillimæ,* si *Generalis Idea* Sensionis supra §. 15. tradita, singulorum *sensoriis* appliceatur. Videndum nunc porro est *de Interna* quomodo *dividatur,* quippe *cujus & Descriptio & Divisio* vulgo desideratur. Est autem illa *Interna Sensio, Passio à Spiritibus ab ipsa Animamotis:* quot ergo
mo-

modis Anima movet suos Spiritus, totidem illa Sensio contin-
get. Movet autem partim *Intelligendo* seu *Cogitando*, partim
Volendo: Ergo Sensus Internus duplex est, *vel de Intellectu vel*
de Voluntate.

§. XXXIII. In *Intellectu* triplex potissimum deprehendi-
tur *Operatio*, *Judicandi*, *Recordandi*, *Imaginandi*. Quas vul-
go nominibus *Judicii*, *Memoriae*, & *Ingenii* seu *Phantasiae* efferre
solemus. Hinc *Sensio Interna* Intellectus posset *subdividi* in
eam, quæ fiat de *Cogitationibus Judiciosis*, secundo quæ fiat de
Ingeniosis, tertio de rebus *Memoriae*. Adeoque est omnino ali-
qua Sensio de *Phantasia* & *Memoria*, ut ut ipsa *Phantasia* & *Me-*
moriam id nominis tueri haud possint.

§. XXXIV. Sed, quod de *Memoria* seu *Recordatione* hoc mo-
do dicitur, non videtur omni exceptione majus esse. Quamvis
enim illud firmo stet talo, quod *Recordatio* non sit Sensio, etiam
hæc illam semper *precedat*; tamen hic illud operæ pretium est,
scrutari, an *Recordatio* *oblivioni* data redeat deinceps, illa sit
etiam a Sensione? Et si sit, a quamam? Ubi notandum, mani-
feste *hanc Recordationem sæpiusmode esse a Sensione*, v. g. Quan-
do oblata mihi hominis cujusdam forma, multum similitudi-
nis habet cum forma Amici, ejus *Recordatio* subit. Interdum
tamen *alia omnia cogitanti* ejusmodi *Idea representatur*, quæ
unde venerit, haud statim est manifestum.

§. XXXV. De hæc si accuratius cogites, *semper eam occa-*
sionaliter in nobis iterum excitari deprehendes, etsi fundamen-
tum *Recordationis* tam obscurum sæpe sit, ut nisi sedulo cogi-
tes, videaris tibi met ipsi nescire, unde ea tibi in Mentem vene-
rit. Sic narrant fabulæ, foeminam occasione clamoris alterius re-
cordatam esse mariti, inde acerbis effudisse lacrymas, rogatam-
que de causa, respondisse, quod occasione clamoris hujus recor-
data sit asini, quem defunctus maritus (quem deplorabat) tantum
carum habuerit. Hic, quamvis nec clamor, nec asinus, mari-
turu

cum repræsenteret, tamen occasione utriusque ejus recordabatur.

§. XXXVI. Potissima causa harum Recordationum, de quarum origine non statim constat, est familiaris aliquis Affectus, qui cum circa Objectum aliquod fuerit versatus, Anima nostra, quæ illum Affectum cum Objecto simul percepit, licet jam ille Affectus redeat sine hoc Objecto, occasione tamen illius recordatur simul & hujus. Sic si aliquis diu multumque speravit amplam hæreditatem, cujus tamen Ideam nunc per aliquod tempus dimisit, si subito ipsi nova spes divitiarum aliunde habendarum affulgeat, ut avaritiæ Affectus plus solito incitetur; occasione hujus Affectus, cum quo semper alias conjuncta fuit Idea hæreditatis, ejusdem recordabitur Anima.

§. XXXVII. Ergo Recordationis Sensio jam Externa est jam Interna, prout Objectum, occasione cujus recordatur, vel Internum est, vel Externum. At instas: ejusmodi Recordatio ab Objecto esse nequit, debet enim esse convenientia cum Sensione & Idea. At quænam convenientia v. g. inter clamorem & Ideam mariti? Resp. Distingue Actum Recordationis ab Idea ejusdem: Ille est a presenti Objecto, v. g. Actus Recordationis mariti a clamore alterius: Idea vero est ab Objecto primum Sensus afficiente & præterito; v. g. Idea mariti in hac Recordatione, est a conspecta quondam ejusdem forma.

§. XXXIIX. Voluntatis Actiones proprie Ideæ non sunt, nec credo eo retulisset eas Cartesius, nisi Voluntatem & Intellectum confudisset: si tamen eas Ideæ nomine venire velis, fiat per nos. De his tamen etiam Ideis, verum erit, quod omnes oriuntur a Sensione, quamvis major dispositio ad eas concipiendas in hoc sit, quam in alio. Pleraque earum oriuntur ab Ideis Intellectus, & hoc Sensu earum Sensio esset Interna. Dantur tamen etiam, ubi Occasio immediate est ab Objecto externo, v. g. a versatio felis etiam non conspectæ: ubi ratio evincit, debere quasdam

dam

dam A tomos ex fele progredientes ingredi corpus averfantis, ejusque sangvinem afficiendo Animæ occasionem suppeditare averfationis Ideæ concipiendæ.

§. XXXIX. Sed hæc ita concedimus propter Lectores faltem; quoad eos vero, qui opposituri sunt, in hæcere poterimus Definitioni nostræ supra §. 28. traditæ, negabimusque adeo, Volitionem esse Ideam. Et quidem non hac de causa, ut objectiones aliorum evitemus, sed quia sub Voluntatis conceptu majus quiddam quam vulgo putatur, latere persuasi sumus: unde de ea nec Hypotheses aliorum commode admittere, nec nostram sufficienter explicare possumus.

§. XL. Interim quas habemus *in Intellectu de Volitionibus* nostris Ideas, vera sunt, & pro diversa hypothesis; quatenus vel statuis, Principium Volens idem esse cum Principio cogitante, *oriuntur ex Sensione Interna*; Vel si illud diversum plane quiddam reputas ab hoc, *ex Sensione Externa*. Nos hic definire nihil possumus, quando quidem Hypothesin nostram de illo Principio Volente non prout decet, proponendi occasionem habemus. Interim *sive* hæc Perceptio Interna sit, *sive Externa*, illud ad minimum, clarum est, quod sit *Sensio*, quia oritur ex Recordatione, quod supra satis dedimus probatum. Motum sangvinis cum Motu Volitionis nemo confundet, alias & de hoc moneremus.

C A P. II. D E I D E A.

UBI SIMUL DECIDITUR QVÆSTIO.

Actiones Voluntatis huc non spectant. §. I. Sed saltem Intellectus: Item quid sit Idea & quatuorplex? §. II. Quod Operationes Mentis vulgo male dividantur in Terminum, Enunciationem & Syllogismum. §. III. Huc spectant maxime Conceptiva, item Singulares: Quomodo Sensio & Idea sint dignoscenda. §. IV V. Quatuorplex sit Idea? §. VI. De Adventitia & Fictitia, & quomodo oriantur ex

C

Sen-

Sensione? §. VII. VIII. IX. X. XI. De Idea Singulari & Universali, & quomodo ex Sensione? §. XII. XIII. De Immediata & Mediatā, & quomodo ex Sensione, §. XIV. XV. De Imaginativa & Intellectiva, & quomodo oriatur ex Sensione §. XVI. XVII. XIX. De Clara & obscura. §. XIX. XX. XXI. De Distincta & Confusa. §. XXII. XXIII. Quomodo hæ omnes sint a Sensione. §. XXIV. Ipsa Questio proponitur. §. XXV. Affirmatur & demonstratur §. XXVI. Cum per Inductionem probari nequeat, §. XXVII. XXVIII. Rogamus omnes secus sentientes, ut aliquam opponant Instantiam. §. XXIX. Quod Instantia ab aliis opposita nos non feriant. §. XXX.

§. I.

Sensionem insequitur *Actio* Animæ, & ea quidem vel in *Voluntate* vel in *Intellectu*. Sic quando v. g. avarus conspicit marsupium pecunia plenum, duplex Animæ Actio excitatur: Primo in Intellectu imago ejus marsupii, secundo in Voluntate cupiditas habendi. Illa solum, quæ in Intellectu est, Idea dicitur: Actio vero Voluntatis Appetitus audit seu Cupiditas: nec hæc Idea dicitur, nisi ex Præjudicio aliquis adigatur, ad hanc Voluntatis quoque Actionibus imponendam.

§. II. Itaque Cupiditas hujus loci non est. Per *Ideam* vero intelligimus *quamvis Intellectus nostri Actionem*. Hujus quilibet triplicem quasi deprehendit gradum: *aliā enim* solum in eo consistit, ut, quod a Sensibus impressum est, *suscipiat & contineat*; quam dicimus *Ideam Conceptivam*: alia susceptas Ideas distingvit vel componit, illud *negando*, hoc *affirmando*; diciturque *Idea Enunciativa*: alia ex affirmatis & negatis *notas elicit*, quam vocamus *Ratiocinativam*.

§. III. Vulgo quidem hæ tres Idearum Species vocibus *Termini, Enunciationis, & Syllogismi* efferuntur. Sed illa quidem Divisio suo Diviso, nempe Operationibus Mentis seu Ideis, *inadequata* valde est. Datur enim *Operatio* ubi nullus sæpe datur *Terminus*, v. g. in infantibus, qui concipiunt Ideas antequam sciant *Terminos*; item ante denominatam sanguinis

nis

nis' circulationem erat utiqv̄ Idea ejus, licet Terminus nondum esset inventus. Quantum ad Syllogismum, datur sæpe Operatio Mentis Ratiocinativa ubi tamen Syllogismus fieri nequit, v. g. In Argumentatione per Conversionem, ut, omnis Passio est Motus, E. Quidam Motus est Passio. Item, quando hoc modo argumentamur; v. g. Omnis Passio est in Voluntate, E. quidam motus est in Anima. Hæ Ideæ procul dubio sunt Ratiocinativæ, Syllogismi vero fieri haud possunt.

§. IV. Idea Ratiocinativa oritur ex Enunciativa: Hæc ex Conceptiva; hæc ex Sensione. Unde si quæritur, an Omnes Ideæ ortum ducant a Sensibus, intelliguntur præcipue Conceptivæ. Illæ ergo priores hujus loci iterum non sunt. Videndum itaque de Conceptivis, ubi præcipue dignoscendum, quando Sensio desinat, & Idea incipiat: quarum ideo difficile videtur discrimen, quod nexu jungantur indissolubili, ita ut eo momento, quo Sensio desinat, Idea incipiat. Sed hic quidem distinguendæ sunt Ideæ Universales a Singularibus: Illæ enim cum formentur semper ab his, earum confusio cum Sensione non est metuenda.

§. V. Quæritur ergo potissimum de Ideis a Singularibus abstractis, ubi si discernatur Passio ab Actione, salva erunt omnia. Impressione enim facta sequitur in Intellectu Susceptio & Retentio aliqua Activa: Illa, tanquam Actio, est initium Ideæ; hæc ejusdem continuatio. Debet autem hic probe discerni susceptio & Retentio Activa a Passiva. In Camera enim obscura est utique etiam susceptio & retentio imaginum, sed Passiva, id est talis, ubi recipiens plane nihil agit; unde & illa retentio non durat nisi quamdiu præsens est Objectum: secus ac in nobis contingit, ubi illa retentio permanet, etiamsi Objectum amplius non incurrat: Unde clarum est, quod Conceptio illa ad Sensionem non spectet sed ad Ideam.

§. VI. Operæ ergo pretium erit harum naturam quantumcunque potest fieri brevitate accuratius scrutari. Non au-

tem melius hoc potest institui, quam si diversitates earundem observemus varias: sic enim conceptus earum nobis fiet distinctior. Harum vero discrimen unice ab objectis desumere velle inanis est opera, Vid. Cart. Med. 3. p. m. 17. Potest autem ea considerari vel respectu *Objecti*, vel respectu *sui ipsius*. Priori modo vel intuitu *Existentiæ* Objecti, vel *Essentiæ* ejusdem. Posteriori modo vel ratione *sui Ortus*, vel *modi concipiendi*, vel *Essentiæ*, ejusque vel *Communis* & *Propriæ*, vel *Propriæ tantum*. Intuitu *Existentiæ* objecti dividitur in *Adventitiæ* & *Fictitiæ*: Intuitu *Essentiæ* Objecti in *Universalem* & *Singularem*: Ratione sui ortus in *Mediatam* & *Immediatam*: ratione modi concipiendi in *Imaginativam* & *Intellectivam*: Ratione *Essentiæ* *Communis* & *Propriæ* in *Claram* & *Obscuram*: Ratione *Essentiæ* *Propriæ* in *Distinctam* & *Confusam*.

§. VII. Intuitu ergo *Existentiæ* Objecti Idea dividitur in *Adventitiæ* & *Fictitiæ*, quibus male Cartesius apponit *Innatam*. Est autem *Adventitiæ*, quæ & quoad *Existentiæ* in certo loco, & quoad *partes compositionemque earundem talis esse Sensu* comprehenditur, qualis concipitur. *Fictitiæ* contra *cujus aut Existentiæ* in certo loco aut *partes taliter non existunt, qualiter concipiuntur*.

§. VIII. Ubi notandum, quod Idea possit esse *Fictitiæ* vel *ratione Existentiæ* in certo loco, vel *ratione Essentiæ*. Priori modo, si res fingatur esse, ubi revera non est, v. g. Si Papam fingam vel Aqvilegiæ sedem suam habere: quo modo Idea potest esse *Fictitiæ* respectu *Existentiæ*, quæ tamen quoad ipsam *Essentiæ* est *Adventitiæ*.

§. IX. At si Idea respectu *Essentiæ* est *Fictitiæ*, necessario plures habebit *partes*: unum enim fingi nequit: quia illud unum necessario deberet antequam fingi posset, fuisse in Sensu, adeoque realiter existere, per consequens fictum non esse. Et quoniam semper *mediantibus Imaginibus* fingimus, hoc quoque clarum est, illam *Ideam* nunquam posse *Intellectivam* esse, sed semper esse *Imaginativam*. *Imaginativa* autem omnis

pe-

petita est a corporibus, corporis Idea sunt Idea Partium, E. Omnis Idea Fictitia constat ex Partium Ideis.

§. X. Fictio ergo hoc modo dupliciter potest institui: vel ut fingamus Partes in uno Individuo nunquam realiter unitas: vel ut unite quidem sint in uno Individuo, non tamen eo modo, quo concipiuntur. Prioris exemplum potest esse Chimæra, Mons aureus, Centaurus: posterioris homines, quibus in pectore positi concipiuntur oculi.

§. XI. Ideam Adventitiam oriri ex Sensione nemo Cartesianorum negabit. De Fictitia itidem res clara est: Dum, unde sunt Partes, quibus componitur, inde & ipsa est sine dubio: partes vero semper esse a Sensu Externo quotusquisque inficias eat? Illud tamen non negamus, esse illas mediate saltem ex Sensione, mediantibus nempe partibus, quibus illa construitur.

§. XII. Intuitu porro Essentia Objecti Idea est, vel Singularis vel Universalis. Illa est, quæ ab unico abstracta est Individuo: Individuum est, quod peculiarem habet Subsistentiam: Subsistentia vero est plurium Accidentium complexus, quatenus ea revera comprehenduntur unita. Potest illa singularis Idea dividi in Substantialem & Accidentalem: Illa nihil est aliud quam complexus omnium Idearum & Contingentium & Essentialium in uno aliquo Individuo unitarum: hæc vero est qualibet harum Idearum separatim considerata, quatenus tamen adhuc unita est cum suo Subjecto. Hæc est illa Substantia, quam vocant Primam. Et sic habes etiam clare descriptas has duas Ideas.

§. XIII. Idea Universalis est, quæ à pluribus Individuis ita est abstracta, ut in ea plura illa singula conveniant. Hæc vel competit singulis alicujus Speciei Individuis, ejusdem vero Speciei Opposito minus; Sic est Differentia seu Proprium: Vel singulis Individuis alicujus Speciei, & singulis quoque Individuis Speciei Opposita; sic est Genus: vel singulis Individuis alicujus Speciei & aliquibus etiam Speciei Opposita: sic est Accidens: vel nec singulis alicujus Speciei, nec singulis Individuis Speciei Opposita;

Sic quoque vocatur *Accidens*. Hinc obiter intelligis, & quid sint *Prædicabilia*, & quod non possint esse *nisi tria*. Hic nota, quod singularis Idea ut plurimum sit immediate ex *Sensione*; Universalis semper mediante *Singulari*.

§. XIV. Ratione sui *Ortus* Idea dividitur in *Immediatam* & *Mediatam*. Illa est, quæ proxime & immediate nulla alia precedente, ex *Sensione* oritur: Hæc, quæ non nisi alia Idea mediante ex eadem nascitur. Sic v. g. Idea hujus hominis *Immediata* est, at Idea hominis in genere *Mediata*, mediantibus scilicet primis illis hujus & illius hominis formata. Sic quando Horatius De Art. Poët. ita inchoat:

*Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne &c.*

Idea hujus monstri *mediata* est, mediantibus nempe Ideis cervicis equinæ, plumarum, piscis, & mulieris, efformata seu potius efficta.

§. XV. *Immediata* omnis sine dubio dependet ex *Sensione*, eaque vel *Interna* vel *Externa*: hinc interdum habet *imaginem*, interdum *nullam*: v. g. Ex *Externa* *Gustu*, *Olfactu*, *Auditu*: Ex *Interna*, v. g. Idea de *Cogitatione*. *Mediata* vero, cum sit ab *Immediata* sine dubio est etiam a *Sensione*: Neque enim filius saltem est a patre sed & ab Avo.

§. XVI. Ratione modi *Concipiendi* vel *Imaginativa* est vel *Intellectiva*. Illa est, quæ mediante potissimum *Visu* formatur cujusque ea datur in *Intellectu* imago, ut eam quasi coram intueri videaris. *Intellectiva* vero est, cujus nulla ejusmodi imago ibidem existit, sed quæ per nudam *Recordationem* motus impressi subsistit.

§. XVII. Idea quidem *Imaginativa* potissimum ex *Visu* nascitur, nihilominus & *Tactu* ea potest aliquatenus formari; In quantum nempe *Tactu* quoque figuras corporum, quamvis imperfecte, explorare valemus. Hic tamen potius *Accidentalis* quam

quam *Naturalis* Tactus est usus : ut non dicam, quod & qualiscunque *Idea Imaginativa* Tactu formatae perfectio ex Visu dependeat. Sic Tactu v. g. exploro quidem figuram corporis triangularem, quam tamen vix concipere possem, nisi antea similem Visu usurpasssem.

§. XIX. *Imaginativam ex Sensione* oriri nemo facile negabit. *Intellectivarum aliquas* inde quoque nasci, indubium videtur, v. g. *Idea de Sono, Odore, Gustu* : ceteras inde quoque esse, hinc patet, quod nobis insint *per Recordationem*. Ubi vero est *Recordatio*, ibi praecessit *Passio* ; ubi *Passio* *Ideas* praecedens, ibi est *Sensio*.

§. XIX. *Ratione Essentiae* suae tum *Communis* tum *Propriae* dividitur in *Claram* & *Obscuram*. *Idea Clara* est, cuius *Genus* & *Differentia ad Sensum* reduci possunt : id quod si fieri nequit, *Idea Obscura* est. Interdum reduci potest *Genus*, non vero *Differentia* : Interdum *Differentia*, *Genus* vero neutiquam. Interdum, quando nec *Genus* potest reduci nec *Differentia*, *Idea* plus quam *Obscura* est, id est, plane *nulla*, merum vocabulum, & brutus sonus.

§. XX. Est autem hanc *Reductio* nihil aliud, quam *Analysis*, quae *Synthesi* convenienter debet institui. *Synthesis* autem omnis ita institui debet, ut a *Sensione* progrediamur ad *Ideas* ; Ergo & *Analysis* & *Reductio* ita fiat necesse est, ut ab *Ideis* recedamus in *Sensionem* : hoc enim solum illud punctum est, ubi clarescunt *Ideae*. *Reductio* autem ita debet fieri : primo concipienda est *Idea Generis* & *Differentiae*, videndumque, an hujus *Generis* & *Differentiae* *Ideae Generales* & *Differentiales* sint *Immediatae* : Si non, ulterius concipienda harum *Idearum* *Idea*, donec ad *Sensionem* pervenias : si quoad alterutram *Ideam* *Generis* & *Differentiae* eo deveneris, alterius *Reductionem* ne obliviscaris. Cave quoque, si iam in *Sensione* verseris, ulteriorem temere tentes *Reductionem*, v. g. *Ideae* hujus coloris, saporis, &c.

§. XXI. Sic, ut exemplo illustrem, quando *Cartesius* hanc
ipsam

ipsam *Perceptionem Claram* describit, quod sit illa, quæ *Menti attendenti præsens & aperta* sit: *Mentis* Idea jam *Immediata* est, ergo ulterius non reducitur, quippe quæ ex *Sensione Interna* satis cognoscitur. *Attendere* notat *Actionem* *Mentis*, qua omni nisi suas format *Ideas*. *Actionis* Idea *Immediata* est, *Sensione & Interna & Externa*; *Nisus Internâ*, *Ideas formare* eadem patet. *Præsens* est, quod in eo versatur loco, unde ab altero potest pati: *Idea loci*, *Idea Passionis*, *Immediatæ* sunt & *Claræ*. At vero quantum ad vocabulum, *Aperta*, ejus *Ideam* si *reducere* velim, negotium *haud succedit*. Per *Apertum* enim vel intellexit *Clarum*, sic idem per idem descripsit; *Vel aliud* quiddam, quod *Obscurum* est, quia, quid sit, non patet. Vid. hanc *Cart. Descriptionem Princ. P. I. S. 45.*

§. XXII. Ultimo ratione *Essentia* potissimum *Propria* dividitur in *Distinctam & Confusam*: quarum illa est, cujus potissimum *Differentia* nec pluribus competit nec paucioribus, quam quibus ex *intentione meditantis* competere debet: quæ pluribus competit vel paucioribus, *Confusa* est, & ea quidem vel *Excessiva* vel *Defectiva*.

§. XXIII. Ergo *Idea Distincta* maxime *talis* *Differentia*, non *Generis*: quamvis nec hoc plane excludatur. Nam & *Genus suo modo Differentia* est, cum *Definiti sui & Oppositi* *Essentiam* ita sistat, ut ea ipsa distinguantur hæc duo ab omnibus aliis. Hinc monent *Philosophi*, in describendo sumendum esse *Genus Proximum*, ut nempe evitetur hæc *Generalis confusio*. At vero cum *Genus non distinguat adequate* *Definitum suum* ab omnibus aliis *Definito Oppositis*; *Differentia* vero ab omnibus idem accurate discernat, etiam ab illis, quæ per *Genus* jam fuerunt separata, patet, *Ideam Distinctam* maxime talem esse respectu *Differentiæ*.

§. XXIV. *Claram* *Ideam* omnem ex *Sensione* esse, patet ex *Definitione*; *Clara* enim non est nisi sit ex *Sensione*? Quoad *Obscuram* notandum, quod *Obscura* dicatur, etsi tota *Obscura* non

non sit: *quoad vero id, quo obscura est, fateor; Sensionem ibi præcedere nullam, sed & nullaejus Conceptus, qui proprie in Idea obscurus est, habetur Idea: v, g. in allato §. 21. exemplo non poteramus vocabulum, Apertum, ad Sensionem reducere; sed & nulla ejus potest concipi Idea. Distincta vero omnis ex Sensione est, quia Distincta esse nequit, nisi simul sit Clara: si autem est Clara, debet oriri ex Sensione. Confusa quoque debet esse Clara, alias judicari nequit, an Confusa sit, an vero minus. Ergo ob eandem rationem quoque est a Sensione.*

§. XXV. Jam ergo cum sic satis pensitaverimus naturam Sensionis & Idearum, ad ipsam Quaestionem progrediamur, judicemusque, *Annon Omnes Ideæ ortum dueant a Sensione?* Ubi notandum, quod in hac quidem Quaestione non dubitetur de *Affirmatione & Negatione*, sed de *Universalitate & Particularitate*. Universalis autem Propositionis Essentia in eo consistit, quod Prædicatum vel Subjecti Genus, vel Differentia esse, vel per firmam Consequentiam ex alterutro dependere debeat. Et in nostra quidem Propositione Prædicatum Subjecti Differentia est: de quo tamen Prædicato cum disputetur, tentabimus, an per aliud Prædicatum concessum hoc possimus demonstrare.

§. XXVI. Provocamus ergo ad *Perceptionem* cujusvis *Internam*, tanquam assumptum nostrum Principium, quod beneficio ejus quilibet percipiat, se habere *omnes suas Ideas quocunque modo ortas ex Recordatione*, quod supra Cap. I. §. 11. 12. 13. 14. probatum fuit. Hæc Major a nemine negari poterit: Minorem tanquam Propositionem æquissimam, & cujus nulla poterit proferri Instantia, hanc videlicet, quod, *ubicunque sit Recordatio, ibi præcesserit Passio*, postulo mihi dari. Sic per invictam connexionem sequitur Conclusio, quod *Omnes Ideæ sint a Passione*. Quam qui concedit, ultro det necesse est, quod *Omnes Ideæ sint a Sensione*.

§. XXVII. Huic Ratiocinio insistemus, hoc evertent, qui
D ali-

aliquid contra obtinere volent. Pluribus non erit opus. Cæterum usitate quidem Propositio *Universalis* solet probari *Inductione*, quæ tamen cum hic sit *adversat*, frustra tentaretur. Quis enim per omnes Ideas eat, quarum tot sunt, quot dantur Entia, easque vel per tempus vel per memoriam nominando saltem, nedum probando, percurrat?

§. XXIX. Equidem in Inductione difficultas Individuorum sæpe tollitur *Speciebus*, ita ut Inductio deducatur saltem per Species. At vero Cartesius & dubitanter admodum loquitur de suis, Med. III. p. n. 14. & nos *Innatam* ipsius concedere non possumus. Quantum vero ad nostras, facile quidem per omnes Species supra earum a Sensione dependentia fuit demonstrata; quas tamen forte non concederet *adequatas* Cartesianus.

§. XXX. Ergo cum Probatio per Inductionem nobis integra haud sit; nihil vero sit facilius quam Propositionem Universalem evertere; (*nominata enim unica saltem Instantia illa cessat*) rogamus omnes, qui dissentiunt, velint haud gravatim *exemplum* aliquod *Ideæ* cujusdam proferre, quæ *nec ab Interna nec ab Externa Sensione originem ducat*. Hoc enim si factum fuerit, tota hæc nostra Dissertatio uno ictu erit refutata.

§. XXX. At ais: Illud ipsum jam satis superque præstitum fuit ab illis, qui multas opposuerunt Ideas, quæ nec ex Sensione Interna nec Externa deduci potuerunt. Resp. Factum id quidem est, multum quoque crucis iis, quibus fuerunt oppositæ, fixisse non nego: Sed multi illorum Philosophorum non satis intellexerunt naturam Sensionis Externæ & Internæ: hinc, cum in bona versarentur causa, per inconsiderantiam supplantati sunt a Cartesianis. Restat ergo, ut, quod nihil illæ objectiones contra nos evincant, demonstremus.

CAP.

C A P. III.

DE OBJECTIONIBUS CARTESIANORUM.

Quod ex Cartesianis præcipue placeat Auctoris Artis Cogitandi examinare dubia. § I. Quid ille opponat Gassendo, non nobis §. II. III. Respondetur ad Objectionem de Cogitationis Idea, §. IV. De Idea Existentiæ §. V. VI. De Deo, & quomodo ejus ex Sensione habeamus Ideam. §. VII. Ad Instantiam Chilogoni. §. VIII, IX. Ad Instantiam de Affirmatione & Negatione. §. X. XI, XII. Finis. XIII.

§. I.

UT ergo videamus, quasnam Cartesiani putent Ideas ex Sensione non oriri, ipsius Cartesii Objectiones debebamus quidem excutere: Cum tamen ille *sparsim* eas injecerit, Auctor vero *Artis Cogitandi* illas collegerit, suis adauxerit, Cartesiique vestigiis accurate inhæserit, placet impræsentiarum hunc potissimum Auctorem seligere, ejusque dubia ad rectæ rationis trutinam exigere.

§. II. Ita autem ille Part. I. Cap. I. p. m. 48. *C'est le sentiment d'un Philosophe, qui est estimé dans le monde, & qui commence sa Logique par cette proposition: Omnis Idea ortum ducit a Sensibus.* Ubi porro ait noster, dictum tamen Auctorem fateri, quod quædam Ideæ, quæ tales extra Intellectum non fuerint, quales ibi deprehendantur, formatæ fuerint aut per *Compositionem*, aut per *Ampliationem*, aut per *Deminutionem*, aut denique per *Accommodationem* & *Proportionem*. Philosophus, de quo loquitur, est Gassendus. vid. *Abbrégé de la Philosophie de Gassendi per F. Bernier. Tom. I. p. 12. 13.*

§. III. De hisce ergo videat Gassendus, quam firmo nitantur talo. Neque enim hisce Distinctionibus omnes solvi Ideas nos statuimus, sed *saltem Fictitias*. Quæ enim per *Compositionem*, *Ampliationem*, *Deminutionem*, *Accom-*

modationem, formantur, *Fictitia* omnes sunt, & ad Externam Sensionem pertinent. Quid vero Gassendus ad sequentes Auctoris nostri Objectiones sit responsurus, est quod cognoscere vellem.

§. IV. Ex iis tamen, quæ nos de Sensione præmisimus, nullo prope negotio ad eas poterit responderi. Multum præcipue roboris inesse putat noster Argumento *de Cogitationibus*; quarum ex Sensione neutiquam Ideam haberi posse existimat. Unde Ironice admodum quærit de iis: *Par quel sens sont elles entrées? sont elles lumineuses ou colorées pour être entrées par la veüe? d'un son grave ou aigu, pour être entrées par l'ouye? d'une bonne ou mauvaïse odeur pour être entrées par l'odorat? de bon ou mauvais goût pour entrer par le goût? Froides ou chaudes, dures ou molles, pour être entrées par l'atouchement?* Pergit Auctor quærendo, quomodo per *Compositionem, Ampliationem, Deminutionem, & Proportionem* fuerint formatae. Sed hæc omnia a nobis levissima Distinctione *Sensionis Internæ & Externæ*, possunt expediri. Habemus enim Ideam cogitationis non per hanc, sed per illam. Hæc ergo *Obiectio* id quidem evincit, Cogitationis Ideam non esse à Sensione Externa; Neutiquam vero exinde sequitur, quod plane ex nulla: Alioqui argumentaremur a Negatione Speciei ad Negationem Generis; quod est absurdum.

§. V. Eodem loco & Ideam *Existentiæ* putat talem esse, quæ ex Sensione nulla fuerit orta. Id quod sane non dixisset noster, si accurate ponderasset, *quid sit Existere*. Ipse vero cum hoc non fecerit; & Lectori persuadere nititur, quod Idea *Existentiæ* sit tam Clara, ut Clarior fieri haud possit; quo ipso eundem avertit a Conceptu ejusdem Claro & Distincto. Et sane vulgaris Metaphysicorum obscuritas Auctori nostro perquam velificatur, cum ex eorum Descriptionibus: *Ens est id, quod existit; quod habet realitatem; quod positum est extra*

ni-

nibitum; & hujus farinae aliis, vix liceat pervidere, quid sit
existere. Existentia enim alicujus rei vel consideratur *respectu*
sui ipsius, vel respectu nostrae cognitionis: illo respectu, (ita ut
huic opponatur) nos nescimus, an aliquid sit, an non, ergo
inutilis labor esset tentare aliquam Entis Descriptionem hoc
sensu: Id vero tentant, qui vulgo describunt. Restat ergo sal-
tem *posterior respectus* cognitionis nostrae, qui priorem
semper includit; & hoc modo clarissime dico: *existere idem*
est, ac Sensu aliquo percipi posse.

§. VI. Ergo per *Existentiam* vel intelligit noster *Alienam*
vel *Propriam*: Illam si intelligit, manifeste ejus Idea est *ex Sen-*
sione, & quidem *Externa*: inde enim scimus, dari Montes, quia
vidimus. Sin, ut videtur, dicat *de Propria*, *haec partim ex Sen-*
sione Interna, partim Externa nobis innotescit. Inde enim scio,
me esse, quia me video, quia me tango, quia me sentio dubita-
re, cogitare.

§. VII. Sequitur p. 50. *Objectio de Deo*, quae maxime fe-
rit *Gassendum*, nos minime, nisi in quantum tamen illud vide-
tur esse verum, quod *Deus nec Interna nec Externa Sensione per-*
cipiatur. Sed hic notanda est *Distinctio* inter *Ideam Media-*
tam & Immediatam. Ideam de Deo & quoad *Existentiam* &
quoad *Essentiam* habemus *mediantibus* creaturarum *Ideis*: &
ita quidem, ut fere hunc in modum *rationinemur*. *Ordo cau-*
sarum incurrit oculos: *ordinis Idea involvit Ideam numeri*: *nu-*
meri Idea includit Ideam primi: *E. in ordine causarum necessario*
datur Causa Prima. Et haec est *Idea Existentiae Dei*. Porro
Idea Causae Primae continet Ideam Causae omnium perfectionum:
Idea causae omnium perfectionum involvit Ideam Causae omnes per-
fectiones habentis: *E. illa Causa Prima est Causa omnes habens*
perfectiones. Et haec est *Idea Essentiae Dei*.

§. VIII. Equidem urget noster quoque *Instantiam Chi-*
liogoni p. 42. 43. *itemque Affirmationis & Negationis*: Quod

tamen dum agit, maxime probare intendit, quod non Omnis Idea sit *Imaginativa*, sed quod multæ dentur, quæ sint pure *Intellectiva*; qualis est illa Chiliogoni, Affirmationisque & Negationis; adeo, ut hæ Objectiones nobis hæud videantur removendæ, qui & ipsi Cap. II, §. 16. Distinctionem illam admittimus. Verum enim vero, cum & ab aliis adhibeantur ad probandum, quod non Omnis Idea oriatur à Sensione, *tantundemque roboris inesse his posset, quantum Objectionibus ab Auctore hoc sine allatis*, videndum, an forte hæ Ideæ tales sint, quæ ex Sensione nulla ortæ, ab Anima proprio motu fuerint formatæ.

§. IX. Quantum ergo ad *Chiliogonum*, fatemur, ejus *Ideam non esse Imaginativam*, fatemur & hoc, eam *non immediate oriri ex Sensione*; at num sequitur; *si Idea aliqua non est intellectiva, non est ex Sensione orta?* Illud potius saltem sequitur, quod non sit ex Sensione Visus immediate (neque enim de Visu indistincte valet) orta. Vel quænam vis concludendi: *Idea non est immediate ex Sensione orta, E. inde plane non dependet?* Chiliogoni ergo Idea ex Sensione nascitur, *mediantibus angulis & numeri Ideis*.

§. X. De *Affirmatione* tamen & *Negatione* difficilior est dispectus: quandoquidem si Ideas de iis habemus, non statim apparet, an sint ex Sensione Interna, an Externa, an utraque an neutra. Etsi enim velis dicere, *rem Affirmatam* hic esse considerandam: tamen regeretur sine dubio, aliam esse *Ideam Affirmationis & Negationis*, aliam *rei Affirmatæ & Negatæ*: de illa quæri, non de hac.

§. XI. Sed notandum hic est, *Affirmationem & Negationem* vel sumi pro *ipsa Actione* Affirmandi & Negandi, vel pro *Idea de illa Actione*. *Priori modo est ex Sensione vel Interna vel Externa*: Inde enim affirmo, quod v. g. lapis sit rotundus, quia Ideam rotunditatis, quam alibi jam ex Sensione hausi, video huic lapidi inesse: quia Vigiliarum Ideam Sensione Inter-
na

na alias percepī, hinc, dum in me eandem jam deprehendo, affirmo, me vigilare. *Posteriori* vero modo *Actio* Omnis Animæ nostræ necessario in eadem Anima causatur Passionem, eo modo, quo supra Cap. I. §. 25. 26. fuit demonstratum. Passio vero in nobis omnis, quæ desinit in Animam Cogitantem, cum sit Sensio, patet, *Ideam de Affirmatione & Negatione oriri ex eadem, & quidem Interna.*

§. XII. Interim si forte, quod Auctor noster facit, velis urgere hæc duo Vocabula: *ita & non*, dico ea *vel* denotare saltem *Affirmationem & Negationem*: Et sic ejus *Idea ex Sensione Interna* jam fuit demonstrata: *Vel rem Affirmatam & Negatam*, sic *inde* est earum *Idea, unde Idea ipsius rei*, v.g. si dico: Non; subintelligendo, turris est rotunda, ejus *Idea* est ex Sensione Externa; Si, Ita; subintelligo, ego cogito, ejus *Idea* est ex Sensione Interna.

§. XIII. Hæc sunt, quæ nostræ thesi tanquam majoris momenti dubia poterant opponi: Cætera parum curamus. Nam si *Definitiones & Divisiones Sensionis & Idea* concedantur, uno ictu & hæc, quæ ex abundantia quasi removimus, & cætera omnia *vim suam amittunt dubia*. De cætero Benevolum Lectorem rogamus quam potest fieri humanissime, si fortè a nobis hac in Controversia dissentiat, velit nobis rationis ductum unice secutis, & sine ulla acerbitate ea, quæ vera esse deprehendimus, prolocutis, ignoscere. Rationes nostras ponderare, & si ea ætate, ingenio, & animo est, ut semel conceptas opiniones mutare possit, veritatis lumen haud respuere. Sin ipsi videamur a regia veritatis via declinasse, etiam atque etiam ab ipso petimus, dubia sua eadem humanitate, qua nos sumus usi, proponat, responsionesque nostras expectet.

F I N I S.



